



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 40. Valonia ab Anglis occupata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1450.

quæsit, sed intrepide, quæcunque sibi crimini darentur, dilutarum spondit, causamque suam tam invicto animi robore, tantoque candore dixit, ut Rex, quo præsentem peroravit, non solum illum comprehendere prohibuerit, sed paulo post ad Consulatus dignitatem revocaverit, majoreque, quam antea habuit, gratia & auctoritate cumularit, quo tamen Delphini invidia, atque odium immodice excrevit.

§. XL.

Valonia ab Anglis occupata.

Vere ineunte recrudit bellum adversus Anglos, quorum primos quoque conatus fortuna promovit; Valoniam enim inferioris Normanniæ urbem in suam potestatem redegerunt. Thomas etiam Kiriellus cum tribus Anglorum millibus in Normanniam excurrere, Cheroburgum obsidione cinxit. Oppidani quidem primos hostium impetus virili animo sustinuerunt, verum desperatis Gallorum suppetiis, Abel Rouantius Nobilis Pictaviensis urbis Præfectus, æquis conditionibus deditionem evoluta tertia septimania facere compulsus est. Kiriellus alia tria Anglorum millia, quæ ex Cadomi, Bajoci, & Viriæ præsidiis collegerat, suis copiis adjunxit, atque exercitum suum

suum ad sex, ac ferme septem armato-
rum millia auctum in aciem eduxit; Sæcul. XV.
A.C. 1450.
Ad rei famam Comes Claromontius Du-
cis Borbonii Filius natu major, maximæ
spei juvenis, Comes Castrensis, Pictonum
Senescallus, Raysius Franciæ Archita-
lassus, alique nonnisi quinque sexve ha-
statis, eorumque satellitibus stipati ac-
currunt, & Claromontius Anglos impe-
tere a Rege jussus, Carentani Castra po-
suit, ubi copias suas suppetiis, quas Con-
nestabilis afferret, augere decretum erat.

§. XLI.

*Angli trajecto flumine Gallos
aggressi.*

Verum accepto nuntio, Anglos occupa-
ta Valonia Bajocas petiisse, ut inde
Virix flumen trajicerent, atque in Con-
tinentensem agrum penetrarent, Claro-
montius exercitum suum ad fluminis o-
ram admovit, Anglis transitum prohi-
biturus. Jam jamque centum hastato-
rum manipulus Duce Petro de Lovanio
flumen ingrediebatur, Anglos debellatu-
rus, sed retrocedere coactus est. Nec
tamen hac die Angli flumen trajicere au-
si sunt, sed primum altera Kirielus su-
perato flumine recta Gallos petiit, qui vi-
ribus nimium impares, sese receperunt.
Quo facto Angli ad Forminiacum pagum
Caren-